



Disputatio medica inauguralis, De mania

<https://hdl.handle.net/1874/35542>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

D E

M A N I A ,

Q U A M ,
P R A E S I D E D E O T E R O P T . M A X .

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

J A C O B I V A L L A N ,
M.D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICÆ decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis-
ritè & legitimè consequendis ,

Examini Publico subjicit

J OHANNES BERNHARDUS FISCHERUS ,
Rigā-Livonus.

Ad diem 18. JUNII , loco horisque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER , Academice
Typographi, clo IC CCIX .



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
M A N I A.
P R A E F A T I O.

Dicitur exploranda rerum natura atque essentia qui desudant Physici, merentur sane omnis generis laudes. Mererentur autem eas tanto maiores Medici, quanto magis studium horum ad scopum nobiliorem Praedicum tendit, si in aequo latissimo campo suo excurrere atque in necessaria inquirere contenti essent, nec priorum felicioribus inventis sedulti, iisdem adeo indulgerent, ut strenue his inhiando, meliora propria negligerent. Eos his verbis respicio, qui non solum Celebriorum Physicorum detectio-nes essentiarum quarumlibet fere rerum summo cum ardore in Medicinam transferunt, sed & ipsi anxie circa intimas Physicas rerum qualitates detegendas, Medicaminum, corporum naturaliter & prernaturaliter constitutorum intimas essentias demonstrandas occupantur, & sine horum notitia Medicinam obscuram irrationalēque appellant. Inanem esse in Medicina horum considerationem, ut exemplo illustrem, liceat in scenam producere + dorum, speciatimque + ti examen. Nudis hoc sensibus ex-minatum, oculis apparet plus minus limpidum, gustui se offert adstringens acidum, navesque afficit acido subvolatile odore; minus autem ri-gorosum

DISSERTATIO MEDICA

gorosum hoc examen esse reputantes nostri Physico-Medici, idem denuo oculis microscopio armatis subjiciunt: satisfit hoc modo desiderio illorum, vident enim jam Θ ia innatantia liquori, vident cuspides horumque aries, vident animalcula ante invisibilia, jam lumbricos ad aquania, sibique de hoc invento gratulantur. Verum, uti aquissimum horum esset conamen & laudabilis intentio, si qua ad scopum ducit ab iis ambularetur via, ita in hac devia delati infasto sane funguntur labore, nec unquam feliciter viam absolvunt, quin potius jam insuperabiles difficultatum montes offendant superandos, jam in steriles immense profunditatis abyssos devolvantur. Empiria obicem ponere laborant, Medicinamque perspicuam formare, an cum successu? Perscrutemur; Nonne indicant +ii acuta Θ ia ejus usum in humorum coagulo visciditateque? nonne humorum presentissimam resolutionem pollicentur? nonne etiam contra compunctio & irritatio nervorum, ex eorum figura juste est timenda? nonne hac ratione convulsiones (pro hypothesi) orirentur? Quid, si animalcula hæc in poris humorum & solidarum partium se proriperent, ibique irritationem producerent? Quid, si putredine correpsi totum corpus corrumperent? Num quid vero horum contingit? Nonne +da tam notorie coagulant humores, ut, fundamentum fere totius Pathologiae absolverint plurimis Medicis? Cur non adhibetur resolvendis humoribus +tum? Nam habet spicula resolutioni necessaria. Num dolores nervorum hujus assumptionem sequuntur? Num convulsiones? Quis vermiculorum cuniculationes aut timuit unquam, aut vidit? Sphacelus etiam, num secutus est? Nonne hoc potius est confusam irrationaliterque reddidisse Medicinam? Leve mihi esset plura talia adducere, sed abrumpo & B. L. ad insignes historia Physica promotores Boylium, Malpighium, Graevium, Hokkium, Leuwenhoekium aliosque ablego, idque in primis quod praesenti in Dissertatione hujus generis examen adhuc forsitan occurret, tum etiam quod contra has micrologias Medico inutilles invenias peculiarem Paranezin ab Excell. Sihalio Hallensi, Preceptore meo semper collendo, conscriptam; ut taceam magni illius Romanorum Medici Baglivi in scriptis suis harum rerum curiosarum dehortationes, & Celeberr. Bidloo in Sect. I. Exerc. suarum ipsius curiosioris Anatomia ut Practico sterilis rejectionem. His pramissis annuente summo Numine, ipsius Dissertationis aggredior

C A-

CAPUT I.

Uti Physicorum maxime interest, si in essentiam alicujus rei scum fructu inquirere cupiunt, ejus naturam à posteriori probe obseruisse, ita etiam Medicorum est, si morbi alicujus verus intellectus sibi comparandus venit, cuncta morbi phænomena, singulas circumstantias, & quicquid, dum durat, contingit, verbo, ejus *Historiam* quam accuratissime animadvertere, ut sic ex observatorum decenti comparatione, quid sit iste morbus probe intelligatur.

De Mania jam acturi eundem sequemur ordinem. Ad ejus historiam colligendam Observatores Practicos consulemus, id quod tanto minus vitio nobis quis vertet, quanto rarior respetive datur hujus morbi casus.

Qui occurunt in iis casus, commode, me judice, in IV. Classes distribuuntur. Sit itaque Imæ illa Mania, quæ sine materiali corporis innata aut adventitia læsione accidit, sed originem agnoscit objecum aliquod phantasæ extra corpus existens.

Inter casus hujus ordinis eminet I. ex Amore insania. Hac labrantes deprehenduntur ea subito fuisse occupati, si v. g. obvia iis facta fuerit persona amabilis venusta, cujus participes fieri mox anxie desiderare, solisque de persona amata cogitationibus vacare cōpere. Personæ participibus factis omnis cessat animi turba; amorem autem suum declarare non audentibus, aut, quod tanto pejus, si hoc factum fuerit, repulsasque acceperint amantes, iis ingentibus passibus augetur ardor, quem comitatur mæror, hunc abstinentia ciborum, vigilæ & marasmodes affectus. Pulsus iis est debilis, visa autem persona amata, aut ubi verba fiunt de illa in horum præsentia, subito fit vehemens, & sanguinis per hunc agitatio ad rupturam venarum usque. Crecent hæc omnia cum tempore, & qui antea taciturni erant jam cum impetu ardent objectum amatum, reliqua omnia aversantur, &, nisi adhuc cito succurratur, fiunt Maniaci. Tales facti, nil nisi obscena loquuntur & patrant, estque omnis generis impudicitia unicum fere horum subjectorum phænomenum. Conf. Obs. Schenkii Cap. de Man. Forest. Obs. 24. & Schol.

Dabimus secundum locum Maniæ ex nimia ambitione ortæ. Se- quens casus mihi notus hujus historiam instar omnium largietur. Vir paulo infra medium ætatem adhuc constitutus, temperamenti choleric-

ci, & ob egregias quibus dotatus erat animi corporisque dotes, inflati valde animi, cum Legati vices aliquando ageret, atque ex hoc munere Principem exterum oratione eleganti alloqueretur, sit fortuna quadam sufficientium adstantium strepitus. Orator, sibi hæc fieri putans, nihilominus proposita pro serie orationem absolvit, hac vero absoluta mirum in modum superibus ejus animus torquetur. Ignominia se affectum esse censens præ pudore omnium conversationi se subtrahit; modestus interim est erga omnes ipsum visitantes & humaniter habentes. Tuisse vero simulac hos aliquæ audit, contumeliis & pro re nata verberibus eos prolequitur. His vero excandescendi occasionibus saepius recurrentibus, malum augebatur, &, cum faribundus jam omnes aggredieretur, carceri includebatur, quo adhuc dum arcetur. Vid. etiam Helm. Ortum imag. morb. §. ix.

Pertinent hoc 3. ex terrore Maniaci Helmont. Dement. in Id. 4. ex iracundia insani Disp. de Animi morb. Exc. Stahl. 5. ex tristitia Helm. Ort. Imag. morb. 6. ex gaudio mentis alienatæ factos esse recenset Herc. Sax. Prax. I. 1. c. 17.

Est præterea hujus classis Mania illa, de qua loquitur Helmontius, quod sordibus careat, nec adsit materialis error. Jus Duumvir. §. 56.

II. Classis est Mania causam materialem I. manifestam I. ex collectio-
ne talium intra corpus natam habens.

Locabo in hanc classem I. Mentis alienationem fœminarum ex sup-
pressis mensibus. Incidunt in maniam ex menstruo inhibito illæ præ-
cipue fœminæ, quibus abundantia est sanguinis, & copiosus ordinarie
ejicitur, temperamenti sanguinei, aut Cholerici, aut utriusque, (sc.
eius n. Melancholia ipsis est familiarior ex obstructione menstrui, nec fa-
cile ad Maniam usque progrediuntur. Retentus per uteri vias sanguis
regurgitat hinc ad alias partes, unde rubor faciei à redundantie sanguine
manifestus, aut hujus ad alias partes superiores metastasis. Terror
primo melancholicus eas occupat, mox impetuolus & violentus, vo-
ciferatione, miris gestibus, cruciatibusque junctus, ut etiam dæmo-
niace habeantur. Fingunt sibi varia phantasmata terribilia, & perpe-
tuo injurias sibi parari metuunt. Vid. Obl. Schenk. C. de Melanch.
& Man. Hippocr. περὶ παρθενίαν.

Secunda ordine hujus classis sit ex seminis retentione Mania, fami-
liarior iterum fœminis præ viris, à quarum parte caudam continente
titulo etiam speciali Furoris uterini salutatur. Corripiuntur hoc ma-

lo præ cæteris sceminae nubiles, & ad conjugalia jam aptæ, aut, ubi his jam usæ fuerint, jam iis abstinere coactæ, v. g. viduæ juniores, existente simul horum subjectorum temperamento Cholerico, juncta que diæta plena, aromaticæ, vinosa. Hujus mali principium in his personis est quoquo modo libidinosum, tentant jam viros in genere ad vertitas delicias, jam hunc illumve in specie ardenter amant, infomniis fatigantur venereis, lasciva loquuntur, venerea cantant. *Torvus* fit earum vultus, nec ullo modo gestus libidinosi ipsarum cohiberi queunt, nisi cum augecente insania, clamant, & in mares obvios ferociter irruunt & ad quem compellunt. Juncta est menstrui fluxus familiariter obstructio, facies ipsis rubicunda est & tumida, humor mucosus acris corrosivus per pudenda turgida & calida emititur. Vid. Mich. Prax. Clin. Cap. xxii. Sennert. de mul. morb. c. de Furor. uter. Forest. Obs. 24. Borell. Obs. 30. C. 11.

Huc m. referendæ sunt 3. Mania ex hæmorrh. suppressis Hippocr. 6. §. 21. Zac. Lusit. Obs. 51. 4. à varicibus occlusis Hipp. ibid. 5. ab ulcere diurno subito occluso Forest. Obs. 24. 6. à suppressa hæmorrhagia narium Id. Obs. 23. à Febre aliquæ morbis prægressis. Id. 1. x. Obs. 27. 8. à Vermibus Erasmus in Orat. de laude Med. 9. Chorea S. Viti. Horstius Obs. 45. Referendum est ad hanc classem locus Hippocratis 7. §. 5. ἐπὶ μανίᾳ δυστερίᾳ, οὐ σφωπτῇ, οὐ ἐνσάσι, αγαθόν.

III. Classis Mania illa est, quæ causam materialem ab extra corpori illatam habet.

Pessime hac laborant I. ita dicti Tarantati, id est, à Tarantula demorsi. Nascitur venenosum hoc animalculum in primis in Apulia, & tempore maxime eo, quo à venere vexatur, nempe tempestate fervidoire, homines obvios ita suo venenato in miserrimam conditionem conjicit. Tarantuli nempe ab horum animalium venenosof spiculo homines in parte læsa statim lividum circulum cum tumore subito inveniunt; excipit hunc statim animi angor, præcordiorum angustia, corporis languor summus. Prolabuntur post hæc quidam in terram semi mortuorum instar, & obliisse eos crederes, nisi respiratio, eaque difficillima & luctuosa suspiria vita eosdem adhuc frui testaretur; alii vero (idque pro diversitate Tarantulæ, quæ pupugit) taciturni melancholici evadunt, solitudines querunt, petuntque, emortuos se credunt, ferentrisque se impo- nunt, in puteos se projiciunt, ululant, & Tarantularum motus pen- siles imitantur. Patientes hoc modo affecti, ubi I. humili prostrati I. erecti

erecti delirantes Musicum Sonum percipiunt, reviviscere statim videntur, tumor in vulnero inficto detumescit statim, movere jam artus, jam subito surgere, & miris gestibus mixtisque suspitiis saltare incipiunt. Salutifera ipsis est Musica, si, qui amicus est Tarantula, observetur modus isque teneatur, ubi hæc non observantur, perniciosa illa magis evadit, quam salutaris. Liberatos hoc modo hoc à malo annuis tamen periodis hunc calamitosum statum Musica celebrare oportet, nisi in eundem eo tempore iterum conjici velint. Vid. Dissert. Baglivi de Tarantula.

Referenda huic sunt secundo loco delitia exvulneratione externa capitis orta, cuius singularem aliquem refert historiam Forestus Observ. xix. nempe puerum se vidisse ait capite vulneratum in delirio Germanica lingua (quam ante non calluit) syllogismos optimos fecisse, & sanato vulnere hos & linguam Germanicam ignorasse.

Tertio loco in hanc scènam adducendam esse duco familiarissimam omnium Maniam, Ebrietatis fuorem. Hujus historiam, ut cuiilibet notissimam, adducere vix opus eslet, cum præterea cœnopolarum plus quam exactiorum autorum hic valeat autoritas. Interim, ut Ebrietatem quorundam Maniam esse demonstremus, sciendum, inveniri talem in primis in temperamentorum Cholericorum hominibus: hi, ubi potus ~uosiores per exiguum temporis spatium abundantiter ingurgitarunt, pulsus iis fit celerior, & calore insigni perfunduntur cum oppletione & surro leni capit is; excandescunt facile ob leve obstaculum, imo absque hoc nulla data anfa: fortiores tunc sunt, ut vix teneri queant, omnibus interitum minantur, nec ullo periculo terroristur, sensus, ubi v. g. vulnerantur, ipsis nullus est, nisi cum ad se redeunt; sunt ideo etiam frigoris magis patientes, quam alii.

Pertinet huc 4. Mania ex mortu animalium rabidorum, Scorpionis, Canis, Lupi &c. Vid. Baglivi de Tarant. & Rol. Lentil. de causis hydrophobiae. 5. Infania à philtro modo non magico i. e. qua nulla mediante materia tangente orta est Borell. C. 1. 6. Illa ex esu Daturæ. Francus in Ephemer. N. C. C. 111. 7. Ex Solano furioso demencia. Bartholetus de respir. L. V. c. 3. 8. Delirium ex Hyoscyamo Borellus Observ. 45. Cent. IV. 9. Ab æstu nimio solis infania Rolfinc. Method. cur. Man. c. XI.

IVm & ultimam Mania classem absolvunt illæ, quæ à causa & modo supra naturalibus contingunt.

Duplicem hanc esse agnoscimus I. Fascinatoriam II. Daemoniam.

Fasci-

Fascinaria illa nobis audit, quæ hominibus operantibus aliis accidit c. subsecuta excretione aut detectione partium ab œconomia animali in totum alienissimarum, ita v. g. habet Benivenius de abditis morb. caus. casum, ubi mulieris 16. annorum venter valde subitdque inflabatur, tanto cum doloré, convulsivisque motibus, ut clamores semper misera funderet. Præstabat mira variaque captum humanum superantia, quin vaticinabatur. Increvens continuis progressibus malum, omnium Medicamentorum vires frustrabatur, donec tandem ultro in vomitum desineret affectus, quo mediante recurvi clavi & ænæ acus cum multis capillis rejecti sunt, cum subsequentे ἐνθεοπίᾳ.

Ne autem dubitationi de veritate historiæ locus sit, vidi ipse, monstrante fide dignissimo Cel. Wedelio Præc. meo venerando ultra centum lapillos omnes fere exacte cubicos, magnitudinis maximi pisi in macerati, omni examine iis consistentia & mixtione simillimi, qui ad marium littora ex arena compacti reperiuntur, per urethram à viro à calculo nunquam ne tentato, subito cum dolore, ipso præsente emis-
tos. Ut plura exempla taceam fide dignissima.

Dæmoniaca. Hujus historiam ex Autoribus colligere, ut difficillimum, ita non absque periculo deceptionis fieri posse credo. Approbante itaque eadem de causa Willisio, consultior erit hujus omissione quam allegatio; idque non ob defectum observationum, quæ sane innumeræ sunt, sed ob circumstantiarum, quibus fidere liceat inopiam; nulla enim mihi obvenit historia, ubi non remanerit suspicio fallaciae latentis, natæ vel ex morbo melancholico maniaco simplici, vel ex malitia impostura quasi ægrorum, vel denique ex superstitione observatorum credulitate. Meretur enim notari duplex non injusta suspicio falsitatis historicæ: I. Quod omnium fere Dæmoniacorum numerum in observationibus absolvant sexus sequioris subjecta, quam obnoxia vero hæc sint melancholicis morbis, quem latet? quanta sit ipsis vis phantasie, quis ignorat? II. Quod, quotquot fere reperiantur de Dæmonomania historiæ, ex antiquitate Papali nobis sunt relictæ; hanc vero superstitionis falsis circa talia aperte scatere, ecquis negabit? Has ob rationes me totam rem præterire, nemo credo vitio vertet. Qui interim ipse in hæc abdita inquirere gestit, inveniet, in quo desudabit in Dæmon. Bodini, Wiero de Præst. Dæmon. Delrio de Disquis: Magicis, & Magonis Flagell. Dæmon. alisque multis. Has vero ob causas dum circa relationum fidem hæsto ipsam rem falsam me renunciare abicit. Yetant enim hoc agere, quas annotavit

Scriptura S. circa obsecros, observationes, quarum disertam magis præ reliquis lege apud Lucam C. VIII.

Generalia ad Maniæ Historiam.

Mania est affectus respectu reliquorum rarior, variat pro diversitate temperamentorum, imo certorum temperamentorum familiarior est morbus. Ætas, quæ hoc morbo occupatur præ reliquis solennior est juvenilis, imo etiam virilis. Propagatur ut alii multi affectus in liberos, & sic fit hæreditaria. Non semper perpetuis paroxysmis patientem vexat, sed habet interdum bona intervalla. Ubi per totum annum liberum reliquit patientem, verendum tamen est circa ⊖ stitium ne redeat, solis æstu tunc nobis maxime molesto existente. Audacia, ingens robur, vigilæ fere perpetuæ, frigorisque tolerantia plerorumque Maniacorum communia sunt phænomena. Maniaci non absolute omnia agunt aliena, sed solummodo secundum circumstantias. Absentia febris Maniam ab aliis deliriis acutis distinguit.

C A P U T I I.

Uti in præcedenti capite omnium fide dignorum autoritatem sequi, eamque amplectari affectus nostri infrequentia suavit; ita hoc in capite ætiologico nulla nobis sacra erit autoritas, sed argumentorum pondera erunt sequenda.

Veterum Medicorum fere omnium argumentationes hujus affectus cauam accusarunt Bilem, jam tostam, jam torridam, ustam mox, mox atram, hincque natos vapores acres cerebri temperiem alterantes, ejusque functiones lædentes.

Recentiorum plurimi accuratius rem resoluturi, humores acres succum nervosum corruptentes spiritusque animales efferos reddentes incusant, hoc modo efficere, ut ~us isti debito ordine vestigia sua naturalia in cerebro legere non possint, sed novos meatus sibi parantes varia & inconcinnia phantasmata Animæ offerant.

Verum utrorumque ratiocinia cum primæ nostræ classis phænomenis historicis minime conciliari possunt, ita ultimorum argumenta præterea hac difficultate premi censeo, quod specificè descriptos suos acres humores probare nequeant, v. g. quod Willisius, quem plurimi sequuntur, eos statuat nihil aliud esse quam liquidum aliquod Δ eo- Θ lum, ∇ mque stygiam, nam quæ allegat hic autor sunt ulcerum fudo-

sudorumque acredines Θνæ. Quin, si concederem adesse, ut vult, ejusmodi aquam fortæ, quo miraculo sit Maniacis non oris ulcera quædam dolorosissima, aut convulsiones perpetuas immanesque? qui contingit ut hæc succi nervæ corruptio Venæctione tollatur? ut tanta materia peccante præsente reliquæ actiones vitales à lœsione immunes maneant? Cum itaque infirmo omnia hæc stare talo censem, solidius mihi erit quærendum fundamentum, cui Pathologiam superstruere possim.

Est tale Physiologicum illud Celeberr. Stahlii, quod nempe Anima rationalis in corpore nostro unicum sit agens, movens. Scio per bene thema hocce plerisque hujus ævi Medicis non arridere, sed nec ignoror omnia quæ ab iis regeri solent, à Cel. Autore feliciter discussa esse. Thesin & antithesin cum omnibus argumentis hic deducere superfluum esset, & pro tempore nimis prolixum, quapropter B. L. ad Cel. Autoris Theoriam Medicam, Dissertationesque haud exigui numeri remitto.

Si certe occurrit humano in corpore affectus hoc thema solide probans, Maniam esse censeo. Patet hoc tanto magis in I. nostræ classis mania & quidem Imo in Amore insano. Indicant hujus phænomena primario ipsam Animam rationalem lœdi, idque in facultate voluntatis s. desiderii. Lœditur autem hic vehementia & pertinacia. Jam voluntas, vehementiæ objectum aliquod, dum desiderat, quid mirum quod intellectus depravetur? quid mirum, quod desideratum illud perpetuum sit cogitationum objectum? quod personæ amantes de objecto amato solum loquantur reliquis omnibus rejectis? Sequitur hinc etiam necessario mæror animi, ubi quæ cupiunt, non obtinent, isque tanto profundior, quo magis objecta amant. Vigiliae sequuntur, quia Animæ his rebus perturbata & inquieta lensum remissionem & corporis curam negligit, &, ut in omnia tristitia, continuo objectum suum meditatur. Macilenti fiunt hi patientes, quod ob mæorem animi vix cibum capiant, & si capiunt, à Natura in usus corporis impendi negligatur. Administratur ab eadem simili ratione pulsus, abjecte nempe & debiliter, agitatur vero & increscit præsente amata persona, aut solum mentione facta de illa, ex renovatione desiderii vehementis, "ad cuius vehementiæ ideam Natura sanguinem vehementius m. in arteriis agitar. His omnibus auctis Maniaci necessario fiunt, ubi enim tantus est Animæ facultatum turbulentus status, mox omnis moralis respectus seponitur, ut aperte jam & cum impetu, quæ ardent, indi-

DISSERTATIO MEDICA

cent, & eloquantur, venerea tum appetant, & nil nisi talia dicant.

Ad Maniæ ex ambitione causam investigandam considerandus ante erit Ambitionis status sanus naturalis. Sunt nempe maxime sui ipsius amantes, & cum cholericæ sint habitus, huic, quam de se tacent, opinioni quoquo modo contrariantes ægre ferunt. Allegata præcedenti in capite historia hoc abunde testatur, cum enim allegatus vir hujus de se ipso estimationis semper gereret curam, facili negotio pertussim illam se lasum esse, sibi persuadere potuit. Nec mirum indignationem summam esse fecutam, nam ignominia his subjectis est sensibilissima, & licet comiter haberet adhuc eum convenientes, tussire tamen eos noluit ideo, quod tussi mediante ignominia se affectum esse credebat. Ut denique horum temperamentorum homines facile ab ira occupantur, ita non potuit non astuefieri, ob tam frequentes irascendi occasiones, vehementissimæ itæ gradui, qui est in omnia inveni.

Eandem habent reliquæ hujus Classis maniæ rationem, nempe affectus alicujus exacerbati nimiam activitatem, summumque gradum.

II. Classis Maniam causam habere materialem in corpore natam dixi, id quod in hujus explicatione pathologica patebit. Quod itaque attinet Maniam ex obstipatis menstruis, ante omnia constet quod harum successus sublatuſ in temperamentis supra notatis destinatam à Natura excretionem superflui sanguinis auferat. Hic vero superfluus sanguis hoc modo cohibitus dum regurgitat, partes superiores petit, eas distendit, & quantitate sua obruit, quantitas ejus vero insolita non solum faciliter in visceribus stagnationes concipit sed & eorum actiones libere fieri impedit. Tentata jam his periculis Natura, ubi corporis sui præsentem percipit & subitaneam periclitationem, quid mirum si hoc periculo terreatur, & omnia gravia metuat? dum vero metus hic eam intimè afficit, quæ habet in suo corpore, etiam extra illud sibi fingit pericula, & undique sibi insidias parari credit. Cruciatuſ, mirique gestus si interdum jungantur, pro spalmis hystericis, non vero Dæmoniacis, nisi ab imprudentibus habebuntur.

Furores uterini causam ponō feminis per impeditam sui excretionem turgescentiam. Confirmat hoc thema illud, quod corripiantur eo fæminæ ad Venerem aptæ, aut eam jam pastæ, omni post præscissa occasione illa fruendi. Impedita hac excretione & foeminis naturæ libidinotæ plethoricis, simulque cholericis existentibus, partes genitales ob excretionem destinatam à Natura humorum in vicinia sua stagnationem patiuntur, unde

unde non solum facillime menstruus fluxus sifflit, sed hoc modo blande irritatae haec partes Naturae intentionem excretoriam perpetuo augent. Sequuntur hinc necessario, perpetuae de rebus venereis cogitationes, cantilenae, somnia, imo ad venerea virorum invitationes. His rebus jam unice intentae patientes, mox omne decorum seponunt, & vi appetitus rationis usum superante, nil nisi absurdia impudica patrant, virosque saepius vi ad concubitus sollicitant. Humorum interim circa genitalia collectiones & turgescenciae non posunt non ob stagnationem illoco acescere ex parte, (idque tanto majore in gradu, quanto magis patientes sunt Cholericae temperaturae) mucoque exteiiores partes ambiente, mediante excerni: partes vero ipsas eandem ob causam calere & turgescere patet. Faciem rubicundam habent, à comite mensum sufflaminatione, perpetuaque horum subjectorum sanguinis & fluctuatione.

Eadem habent causas omnes ex impedita humorum excernendorum excretione natæ Maniæ, in primis ubi redundantia horum aliis partibus vitalibus improvixam noxam inferre parata est.

Accedo ad resolutionem III. Classis causam materialem ab extra corpori illatam agnoscens.

Mirabitur merito quilibet allegati in priori capite ex Tarantula mortuæ delitii conditionem, mirari vero desinet mortuus hujus grave periculum perpendens. Vulneris enim à Tarantula inflicti conditio abunde satis docet, sanguinis massæ venenum vehementissimum esse communicatum, corpori prætentaneum interitum minans; rationalis itaque est Naturæ ob tam gravia pericula angor, & hinc inconstantia vigoris motuum vitalium, unde angustiæ præcordiorum & remissio toni omnium partium fere apoplectica. Quod vero alii non tam cito aut plane non his extremis afficiantur, sed melancholicis similes se gerant, mortuos se jam esse credant, vel se ipsos morti offerant, in causa ut opinor, erit, quod vel vivacioris magis ii sint temperamenti, vel tarantulae venenum adeo virulentum non fuerit, quod secundum tarantulas variat. Majorem investigationem sibi poseit mira Tarantulae morum imitatio (quod etiam communiter fit, annotantibus id autoribus, in demorsis ab aliis animalibus) nempe quod motus earum imitentur pensiles, & ad musicæ certum genus, uti tarantulae, sublultent. Saltationes has iuxta Willistum ab actis in lenes spasmos spiritibus animalibus, & levamen quod ex Musica accipiunt tarantati, ab his undulatione motoria sanguinis coagulum tam immane præsuppositum à Celeb. Baglivo, re-

solvente per omnes circumstantias explicare in me non suscipio; Feli-
cius forsan hoc modo: quod Anima dum corpori communicatum e
Tarantula sentit venenum certi generis motu intestino affectum, secun-
dum hujus motus conditionem ideam sibi formet actionibus Tarantu-
la conformem, juxtaque eam dein corpus suum moveat; imo in-
super istu perterrita, & repentina hoc terrore quasi extra se rapta,
hostem suum venenosum perpetuum habeat phantasie objectum,
& cum nihil quam Tarantulam cogitet, cum furere incipit, Ta-
rantulam agat. Levatione quod per saltationes obtinetur maximam par-
tem tribuendum videtur motui corporis; non solum enim delaslatorius
mentem ad corporis sui curam habendam quodammodo revocat, sed
etiam sudorem concitans venenum una exxit. Quod periodos ser-
vet hic morbus commode explicari potest, si consideretur, quod Na-
tura in metiendis temporum spatiis in tota cœconomia animali exactissi-
mam habeat peritiam, ut dum aliquando insignibus motibus occu-
pata fuit, eos facile temporis annulo absoluto reassumat, nulla licet
præsente necessitate.

Ex istu capitio ortam maniam perturbationi Animæ ob tam nobilis
organī lœsiōnē adscribendam esse non dubito. Coniunctam vero in
allegata historia peregrinæ linguae notitiam rem arduam esse cum Ett-
mullero pronuntio, interim cum eodem naturale quid subesse putans.
Vix aliud præter excellentiam mentis humanae inde cognoscimus, eam-
que ultra limites corporis sui aliquando sapere discimus. Interim si
tentare quid licet in hoc casu difficulti, in considerationem vocari posse
puto illud, quod, cum res sit verissima, Animas ex propinquitate pro-
xime consanguinea aut intimo amicitiae nexu, intenso amore invicem
unitos, actus suos rationales, improprie passiones, sibi per tot inter-
dum millaria insensibiliter communicare, exemplo eorum, qui peri-
cula suorum ex animi sui præflagio percipiunt, quod, inquam, suspi-
cio nasci possit, annon etiam Animæ licet dissitarum nationum, ob
convenientiam tamen intimam temperamentorum, & hinc morum, ubi
extra se actæ sunt, etiam ejusmodi scientias per insensibilem communi-
cationem sibi communicent, idque in hoc statu positæ hoc modo pro-
dant. Quod locutio peregrinarum linguarum infallibile signum ob-
sessionis non sit, docent exempla eorum qui paucis assumptis medica-
mentis hanc peregrinam vocem unā cum morbo suo amiserunt, uti te-
stantur annotationes autorum & inter alios Erasmi Rotterod. in Ora-
tione de laude Med. Conf. Lemn. de occ. naturæ Mirac. L. 11. c. 2.

Ebrio-

Ebriorum Maniam quod attinet, Ettmulleri non solum autoritate eorum furorem sic nuncupo, sed ob rei exigentiam, & cum ipsa Mania convenientiam. Si enim consideratur, quod spirituosiorum potuum ingurgitatio in sanguine cholericō (nam de cholericis hic maximus est sermo) ingentem concitet motum intestinū, & ob hunc pulsus celerior oriatur, facile judicari potest hunc tumultum sanguinis Naturam ad actitatem in genere, blandum vero sensum quem hujusmodi grata aurosa Naturæ, seu Animæ offerunt, ipsi ad interiorem quandam tranquillitatem quasi invitare, ut hoc modo avocata ab officiis suis debitiss rationationis, ordinem eorum ex civili moralique respectu assumptum deferas, & naturales suas inclinationes pro corporis temperamento reasfummat, idque in tanto gradu, ut Maniacorum generalia phœnomena, mox explicanda, ad insignem gradum habeant conjuncta.

Restat jam quarta & ultima Maniæ Classis exponenda, quam supranaturellem esse diximus. Divisimus illam in Fascinatoriam & Dæmoniacam. Prioris posuimus calum, posterioris nullum.

Mentis alienationis simplicis causam ex circumstantiis allegatae prioris historiæ Maniæ fascinatoriæ erui facile posse patet, quippe sotnicam causam eamque supra naturalem, insolitam causari mentis alienationem rationi consonum est. Minus vero rationi patet, quid de vaticinio patientis sit statuendum, nisi consideratio sapientiæ mentis, dum à materiæ occupatione in tempus abstinuit, sæpe eminentis, ad judicium de hac re, utut leve ferendum, scintillam accendat. Difficillima autem, quid difficillima? impossibilis fane videtur esse excretorum heterogeneorum explicatio, nempe quomodo hæc corpori insinuata sint.

Eadem difficultate explicandi laborat casus adductus de lapillis cubicis per urethram tanta in copia emissis.

Quæ omnia abunde monstrant, certum esse, licet variis modis Fascinatio, ut res fabulosa, impugnetur, in medicina dari ejus verissimos & stupendos casus, à rei alicuius naturalis effectu nunquam nec suspicio ne deducendos.

Altera hujus classis Dæmoniaca Mania est. Hujus historiam me non apposuisse in tanta licet ejus multitudine, præcedens caput jam excusat. Quid igitur Pathologiæ, uti nulla historia? Earum enim quæ afferuntur ab autoribus signa pathognomonica faciliore negotio ut effectus naturales explicantur, cur igitur supranaturales habendi sunt, & per Diabolum patrati? Existentiam vero hujus Maniæ, uti quidem Sacra pagina docet, ita tamen medice aut physice illam explicare, frustanei

ut opinor, esset laboris; quid, quod in Criticorum, Philologorumque (his in locis valde dissentientium) messem, falces velle immittere speciem daret. Faciliore itaque cum *venia manum* de his removebimus, quo minus tota res fori est Medici, Physique.

Explicatio generalium ad Maniam pertinentium.

Maniam respectu reliquorum affectuum esse rariorem, non mirum est si consideratur, quod, cum Ratio sit caracter essentialis Animæ, eam eo magis contervet ne in excessus abeat; neque hoc solum, sed cum recta ratione aberrante corporis cura insigniter negligatur, & ejus sollicita conservatio Animæ in ratione constantiam majorem procurabit. Impedit præterea rationis ad alias res obvias applicatio, quo minus Anima uni molesto objecto se totam tradat.

Huc confert non exiguum quid, quod Mania non cuiuslibet temperamenti sit morbus, sed fortioris in primis cholericæ, & de hoc multum participantis sanguinei vel Melancholici; cum enim constantia in agendo & impetus ad Maniam requirantur, reliqua temperamenta ad Maniam formandam, haud adeo erunt idonea.

Confirmat hoc præterea atas quam Mania familiariter occupat, Juvenilis nempe & Virilis; activitas enim in agendo hujus ætatis præ reliquis est insignior, inde facilis exacerbari & in extrema prolabi potest. Contingit hinc etiam quod gradu variet, nempe quo magis minusve homo in fervente tali ætate verlatur aut de activiori participat temperamento. Hæreditate propagari Maniam Autores affirmant; habet ad hoc rationem aliorum morborum vitiis motuum Naturæ originem debentium. Hoc enim vitium per ideam agendi hæredi communicari à parente res est certissima. Intervalla monstrant, ut opinor, aliquo modo falsitatem Theoriæ de spiritibus animalibus. Patet potius Mensis hac in re subesse actiones, quæ uti inconstans est, ita pro intentione ad sanas actiones interdum reddit.

Redit autem familiarissime, ubi diu abstinuerit ab his inordinatis motibus, occasionem præbente æstu Ois, qui revocando huic affectui satis est, ut ei producendo est potis, ad allegatum priori in capite exemplum. Eandem etiam habere causam apparet Mania, quam Europæ in Indiis Orientalibus communiter experiuntur, utpote tantum solis æstum tolerare in locis patriis insoliti.

Numerantur communiter solennia phænomena Maniacorum, quasi patho-

pathognomonica, illa: Audacia, Robur, Vigiliarum, hyemisque tolerantia. Non miror effrenem horum subjectorum audaciam, quoniam, qui morales respectus ante eandem refrenabant, jam penitus sunt sepositi; Hinc simul est, quod Fortitudo Maniacorum pariter sit insignis, uti enim fortitudo intrepidorum semper est proprium, ita tanto magis Maniaci erunt fortes, qui nulla pericula nec cogitant, nec timent, quod in sanæ rationis fortibus adeo absolute non valet. Vigiles sunt, quia cum Mens sana alias à motibus corporis & rationis insignioribus cessans corpori & sibi quietem det, jam alienata non considerat quiescendi necessitatem, & ideo non lassatur, hinc etiam uti intensa est activitas actus primarii, nempe rationis, ita ex hujus idea sanguinis motus pulsu intenditur, quo intenso, intenditur calor, ut perpetuo caleant; Licet intolerantia frigoris multum tribuenda etiam sit incuria, seu quasi non astimationi Naturæ, abstracta enim ut a rebus multis, ita etiam à sensationibus est.

Maniacos denique omnia absolute absque ratione agere nemo adseverabit, nisi, quæ ab iis agantur ignorans. Apparet hoc non solum ubi discursu ea non tanguntur per quæ læsi sunt, aut quæ ad meditationem Maniacam ullo modo occasionem exhibent, quod ad tempus ab objectis suis phantasticis avocari possint, ut alia sic satis ordinata loquuntur; Sed quæ præterea agunt semper convenientiam habent cum statu illorum morbo, in genere tales actiones poscent. Febris non adest Maniæ, quia ex parte esset inutilis, ex parte vero, ubi utilis esset, utilitas ejus à Natura non animadvertisit.

C A P U T III.

Antiqua est sententia, quod ubi desinat Physicus, ibi incipiat Medicus, & secundum justum usum vera. Vigens hodierni studii micrologiæ ad usum Medicum inutilis applicatio, non solum falsam eam esse proclamat, sed, ut puto, merito in sequentem mutari sinit, nempe, quod ubi desinat Physicus, desperare incipiat Medicus. Patet hoc ex Pathologia Physica Maniæ hodie à plurimis Medicorum recepta, à Willilio prolixe deducta. Docet hæc Maniam vel in perturbatione sola spirituum animalium existere, vel in perversione spirituum horum è mixtione sua Θlo Θna volatili in Θo Φeam fixiorem, Forti similem; in utraque casu -us nova receptacula quaquavertium formare, indeque varia phantasmata gignere. Jam utut -uum perturbationem

DISSERTATIO MEDICA

anodynis directis vel indirectis se posse sistere credant, & diaphoresi inutiles plane ejicere, quo medicamento, dum diaphoresi Δ -us rursus concitantur, impudent, ne priora vestigia ab iis legantur? quo medio nova efferatio præcavebitur? fane nullo. Major impossibilitas erit mendendi ubi Δ -us venenoso appendice fuerunt inquinati; diverticula enim quæ hi fecerunt nova, tollenda aut quoquo modo obturanda sunt; nullum autem huic malo ferre poteris auxilium seu medicamen, utpote ignorans an 1. recepraculo occludendo quadret, nam 2. Figura Δ -us Stygii vel venenosæ tibi fuit ignota, quin 3. Figura Δ -us simplicis naturalis. Hæc vero nunquam præstabis, E. Mania est affectus incurabilis. Cui usui jam Physica subtilis theoria?

Posui primam Classem Maniæ non vitio materia, sed ipsius rationis debere ortum. Corrigenda itaque hæc erit, non primariò medicamentis, sed magis directe 1. cohortationibus prudentibus. 2. Musica, hæc enim ingenti vi pollet animos demulcendi. 3. Contrarios affectus in patientibus producendo v. g. si amore insaniunt, & amatæ personæ participes fieri nequeunt, variis modis odium excitetur contra illam &c. Si adest in paciente plethora cum fructu etiam secabitur vena, ne sanguis valide motus, & in orgasmum actus animi perturbationem magis foveat. Adhibenda sunt simul ita dicta Refrigerantia & sanguinis α -sum temperantia, ut sunt \pm da, imo Θ , cuius ultimi usus etiam externus à Celeberr. Stahlio commendatur, nempe applicando illud cum \pm to testiculis. vid. Diss. de Animi morbis.

Inversam methodum sibi poscit secundæ classis Mania, cum enim materia vitio unice & primario orta illa sit, ad eam etiam primario erit respiciendum v. g. ubi ab obstructione menstrui orta est, necessario hic reserandus prius est Venæ sectione in pede, pediluvii & ita dictis Emmenagogis. Spissitudo sanguinis si adest, attenuantibus & resolventibus ille fluidus reddendus est. Nec inconsulto Purgatio per Helleborum, ut huic affecto maxime conveniens creditum in forma infusi vel Extracti præmittitur, duplicata tamen dosi, quia leniorem medicamentorum operationem non attendit alienata Natura. Sanguinis orgasmum supra dictis domare convenit. In Furoris uterini allegato casu post sanguinem temperantia primarium habent usum Evacuantia & simul Alterantia, in primis Diuretica \square sa, Tinct: $\ddot{\chi}$ ii acris, evitando tamen semper $\ddot{\chi}$ ea calida oleosa; $\ddot{\chi}$ dulcis lympham unà corrigen $\ddot{\chi}$ evacaans usum similiter hic habere potest. Venæ sectio in pede abundans locum similiter sibi hic poscit non ultimum. Menstruus fluxus tentandus est Emmenagogis, san-

sanguinem tamen minime turbantibus. Vigilia, si hac in classe, imo reliquis, adstant nimia, Pediluviorum Oique largo usu tollentur, qua de re vide Cel. Stahlii Disput. ante nominatam, ut adeo non opus sit Opio, aliisque narcoticis, somno non subsecente pejorem statum reddentibus. Si vero patientes ipsi naturaliter dormiant, tanto magis spes affulget mox recuperandæ sanitatis.

Evacuationum suppressarum talium revocatio harum Maniarum primaria est cura.

Tertiam Classem quod attinet, primus in eo occurrens affectus prolixam medicationem non admittit, sed teste Baglivo, sola Musica tollitur.

Nec secundus allegatus casus difficiliorem habet curam, quam quæ capitis vulneribus simpliciter adhibetur.

Tertia hujus classis allegata Mania, uti est transitoria, ita materia turbante per quietem evacuata, & illa evanescit.

Reliqui vero casus majorem postulant curam: sic enim ab animalibus demorsi non nisi specificis remediis ab insania sua liberantur. Hydrophobia affectis submersio infra v̄s medela est. Ubi venenosa per os sunt assumta, aut de philtro sit suspicio, Vomitorio præsentanei effectus opus est, si nempe paulo ante ea assumerint; si vero materia venenosa sanguini jam est communicata, Catharticis & Diaphoreticis res est agenda, & tunc Specifica in subsidium vocanda.

Ultima Classis Mania, quoad allegatum casum, parum etiam curationis medicæ admittere videtur. Excretio enim talium rerum peregrinarum felicius proprio naturæ actu, quam Medicamentis peragitur. Ubi simul corporis conformatio mala inducta est, Antimagica ita dicta usum habere possunt. Sic commendabantur à Veteribus graveolentia ad suffitum, ut Antimagica, imo Anti-Dæmoniaca, credentes Diabolum tetrum odorem non ferre posse, ignorantibusque, ubi communiter usurpabant, nempe in mulieribus, virtute anti-hysterica, passiones hujus nominis talia curasse.

Dæmonomaniam quod attinet, non Medici, sed periti Sanctique Theologi cura in illa opus est.

Instituta sic per indicationes methodo, cura ipsa specificis est obsecundanda.

Commendatur in hunc finem omnium fere Practicorum consensu, ut generale specificum Anagallis flore phœnico, in forma decocti vel Elientia. Item Hypericum eodem modo usurpatum. Camphoræ u-

20 DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

sum internum laudat valde Ettmullerus cum Paracelso, Jonstonio & Hartmanno, mixtio vero ejus calida & ea mihi cam disfluadet; eadem de causa ejus usum in venereis nostris Maniis, utut valde deprædicatum, prohibitum vellem. Commendatur alias asini post aures, aut hirci post testiculos, emissus Sanguis, patientique exhibitus, secundum autores, prægnantes ob rationes ex his locis commendabilis. Veram & Tincturam Maniæ mederi hinc inde contenditur. Ubi ad extrema prolabitur Mania, castratio in viris commendatur, hac tamen remanente cum molestia, quod licet Mania remittat, Melancholia insignis tamen relinquatur. In vs immersio, ut egregium remedium, commendat Helmontius in omnibus fere Maniis. Demorsis ab animalibus rabidis Cel. Stahlii talium animalium hepata exhibenda l. c. deprædicat.

Modus tractandi Maniacos.

Ubi adeo increvit Mania, ut metus nascatur fore ut patientes vel sibi vel aliis vim inferant, separandi sunt modestis actionibus & mediis ab hominum commercio, omnemque illud quo vim inferre valent, ab ipsis auferendum. Praeficiendus tamen ipsis est quem vereantur, qui que interdum placide cum ipsis, interdum serio & cum objurgatione cum iis loquatur. Locus sit ex parte obscurus, nec \ominus expositus. Non exponantur patientes, quod pessime in asservatoriis Maniacorum publicis sit, derisui & vexationi imprudentium quorum liber, non enim mirum prolongari inde Maniam. Damnanda simul est claustrorum plearia occlusio & inde omnis lucis in illis exclusio, nam qui insaniuntur hac insolita magis exacerbantur, & si qui sunt, qui bonis intervallis gaudent, militeram suam vitam considerantes rufius animo insignireruntur. Idem tenendum de ligatione Maniacorum. Verbera ut specificum non habeantur, nec ad consilium Cel. Stahlii, nisi ubi militia est conjuncta, aut in pertinacibus primæ classis Maniis usum habent. Medicamenta si assumere recusat, furtim ea dentur per cibos. Potus sit tenuis v. g. serum lactis vel solum, vel cum herbis refrigerantibus coctum. Ab soluto hoc modo specimene hoc Inaugurali, nihil restat, quam ut a me dicatur.

S-O-L-I D-E-O G-L-O-R-I-A.